

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Explicatio Nova Et Facilis Loci Genes. XLIX, 10

Gülcher, Johann Jacob

Lipsiae, 1774

Explicatio Nova Et Facilis Loci Genes. XLIX, 10

urn:nbn:de:gbv:45:1-5332

Minime indignabor, Lector humanissime, si aggressus lectionem huius scripti cum praeiudicio diffidentiae, timueris, ne magno promissor hiatu spem obtulerim ridicule vanam. Scilicet promitto explicationem nouam et facilem loci alicuius, cuius multiplices plurium seculorum explicationes recentioribus temporibus porro multiplicatae sunt, quique aliquibus adeo insuperabilis difficultatis visus est, ut visum fuerit (mira res dictu) auxilium adeo in Sinico et Gothico quaerendum esse*). Quam quidem promissionem meam vix fieri potest, quin, primo praeiudicationis pulsu, ducas vanissimam iactantiam, eamque ob causam eius plane incredibilem. Quodsi explicatio, inquires, est, uti dicitur, facilis, qui fieri potuit, ut ea prorsus fugeret exegetas tam innumeros, veteres atque novos, viros, qui ut commodam explicationem inuenirent, omnibus ingenii et commentandi viribus contentis fere vniuersas linguarum orientalium opes in auxilium conuocarunt? Fateor equidem, lector humanissime, futurum fuisse, ut mihi ipsi res incredibilis videretur, nisi observassem, plurimos interpretum explicationem aggressos esse cum manifeste vano aliquo praeiudicio. Cuius quidem duo potissimum sunt genera. Alterum criticum, alterum dogmaticum est. Criticum illud vererebatur, vel minimo passu a lectione masoretica recedere, quantumvis manifestissime in versionibus antiquissimis in oculos incurreret lectio melior. Nimirum quamuis in loco nostro manifestum esset, vocem וַיִּשְׁרַח omnes omnino veteres aliter legisse, tamen in lectione illa masoretica interpretes ita perstiterunt, ut mallent, etymologiae et grammaticae multiplicem vim inferre, quam salutarem rationem habere lectionis alicuius diuersae. Quo melius hoc appareat, audiamus, qua li-

A 2

bertate

* vid. si tanti tibi sint nugae difficiles *Hist. Crit. Rcip. liter.* T. II. p. 123. *Rudbeck Spec. vsus linguae Goth.* p. 140. seq.

bertate Schoettgenius iudicia interpretum Alexandrinorum, Aquilae et Symmachi opprimere studeat. Postquam enim commemoravisset, necesse esse, eos, prout ex eorum versionibus appareret, pro שִׁילָה legisse שִׁלָּה ita loquitur: *sed videntur, inquit, illi codice non punctato usi esse, ubi et matres lectionis absuerunt, vel codices quidam illorum temporum in mendo cubare potuerunt* *). Quasi tali per verbum videtur facta sententiae pronuntiatione res decretorie decideretur, atque non aequae codices sequentium temporum et Masoretarum in mendo cubare possint. Quin subit cogitare, valere de codicibus, in uniuersum et ceteris paribus, id, quod Horatius de successione generum hominum pronuntiat: *Aetas parentum peior auis tulit* &c. Nec minus iustae interpretationi praeiudicium dogmaticum et polemicum obstitit. Christiani hic semel non tantum vaticinium de Messia inuenerant, sed etiam in voce שִׁילָה nomen aliquod proprium, atque praeterea definitionem eius temporis, quo Messias venturus esset. Quare hunc locum duxerunt propugnante adversus Iudaeos, eoque mordicus tenendo et nunquam resignando dicto classico. E contrario interpretes iudaei, ut argumentum Christianorum ex hoc loco petatum eluderent, commenti sunt tales interpretationes, quales si assererentur, aut hic locus nihil quicquam mentionis de Messia contineret, aut saltem omnis character temporis tolleretur.

§. 2.

Ex noua nostra loci interpretatione vaticinium aliquod Messiam spectans prodibit sane; sed eiusmodi, quod ante rei eventum oportet obscurius visum esse, quam quidem secundum vulgatam explicationem futurum fuisset. Etenim voci שִׁילָה inesse nomen Messiae proprium plane non statuimus, ut nec ullus veterum interpretum inesse statuit, id quod probe iam observatum est Cl. Telleri **). Etiam si enim communiter soleant omnia alia, praesertim de *Paraphrasis Chaldaicis*, perhibere, tamen inspicienti mox patet non nisi in uniuersum ipsos locum de Messia exponere,
ita

*) diss. de Schilo dominatore subiuncta Horis Hebr. p. 1265.

***) Not. crit. et exeget in Gen. XLIX, pag. 134.

ita vt שילה pro aliqua eius circumscriptione quidem, non autem pro proprio nomine habuerint. Quod vero ad definitionem eius temporis attinet, quo Messias aduenturus esset, illa quidem sic vt locum explicabimus, non omnino disperibit, quin cum ipsa illa, quam vtplurimum hic inueniri visum est, satis consona erit tandem; sed illud tempus non ita ἐστὼς, ac vulgo statuant, sed vage magis, et quod dicere liceat, quasi per ambages significabitur; id quod ab ingenio Prophetiarum minime abhorret, praesertim si illae sint ex antiquissimis et ab eventu longius remotae. Istud saltem nostrae quoque interpretationis consequens erit necessarium, ut dicamus, oportere Messiam nunc dudum orbi apparuisse, atque vaticinium Iacobaeum aut in Seruatore Iesu completum esse, aut prorsus omni complemento destitui.

§. 3.

Sed ne diutius te, Lect. hum. in limine moremur, veniamus in locum, atque propius dicamus, eam, quam excogitavimus, explicationem ab explicationibus aliorum, magno numero in medium prolatis, quas quidem nobis cognoscere licuit, quatuor fere diferepare capitibus: quamquam quod ad tertium caput attinet, eam parte interpretum ex alia quasi via concurremus hoc tamen discrimine, quod ipsos aut grammaticae vim inferre, aut significatum vocis Ebraicae vsu non comprobatum sumere oportet: quorum neutrum nos facere necesse habemus. Pertinet autem ex his capitibus primum ad constructionem posterioris distichi h. e. verborum:

עד כי יבא שילה
ולו יקהת עמים

in quibus omnem loci difficultatem sitam esse putamus. Alterum enim distichon:

לא יסור שבט מיהודה
ומחקק מבין רגליו

difficiles explicatus non habet, atque vt communior eius interpretatio teneatur, facile patimur; sicuti et illud sine discrimine est no-

bis, vtrum quis phrasin מביין רגליו pro nativa generationis ac propagationis descriptione haberi velit, collato loco Deut. 28, 57. nec non simili loquendi vsu Arabibus frequentato, an malit statuere, nihil amplius dicere phrasin, quam: *ab illo* scilicet Iehuda, quae Cel. *Ernesti* sententia est, qui formulam loquendi Graecam ἐκ ποδῶν confert cum hebraica. Alterum, quod explicatio nostra proprium habet, concernit lectionem vocis שילה, quam lectionem mutamus; tertium deinde interpretationem eiusdem vocabuli aliter lecti; ac denique quartum, significationem particulae עד in כי עד quam constanter reddere solent *donec, usque ad*; nec in mentem venit, quod sit eius voculae etiam significatio alia, huic loco inprimis conueniens.

§. 4.

Quod igitur primo loco ad constructionem attinet, videntur nobis vulgatae explicationes non satis convenire isti poëseos hebraicae proprio quasi characteri, quem parallelismum membrorum vocant, et primus, vt eruditi norunt, Cl. *Lowthius* lib. de poësi hebr. data opera demonstravit ac in claram lucem posuit. Nempe solent prius distichi membrum: עד כי יבא שילה tanquam definitionem temporis ad praecedentia referre, hoc modo: *non recedet sceptrum — donec venerit &c.* Sed parallelismo, quem diximus, consentaneum est, vt ambo haec membra alterius distichi:

עד כי יבא שילה
לו יקהת עמים

eodem modo construantur, quemadmodum inter duo prioris distichi membra:

לא יסור שבט מיהודה
ומחקה מבין רגליו

manifesta intercedit ἀναγκασιῶς, vtrumque arte coniungens. Ita eadem prorsus membrorum ratio est statim in commate sequente, quod ita habet:

Ligans

*Ligans ad vineam pullum suum
 Et ad vitem filium asinae suae
 Lavabit in vino vestimentum suum
 Et in sanguine vuae pallium suum.*

vbi videmus, bina membra inter se connexa esse, atque membrum posterius construi cum priori. Erunt forsan, qui obiiciant, quod si ita instituamus, membrum postremum: ולו יקרה עמים non ad Schiloh, quem dicunt, seu Messiam, sed ad Iudam pertinere. Atqui illud nos lubenter concedimus, nec magnopere curamus, si quis propterea explicationem nostram, vel antequam audierit, reuiculam putet, dummodo nolit inde nobis invidiam quandam conflare, quod nonnulli nimii *ὀρθοδοξίας* affectatores, *Edzardus* in primis, fecerunt *Clerico*, de cuius quidem cetera exegesi, tum nostro tum plurimis aliis in locis, licet ipsi non magnifice sentiamus, in eo tamen quod postremum commatis membrum ad Iudam retulit, recte vidisse persuasum habemus. Neque licet profecto id tanquam postulatum aliquod, quod demonstratione non egeat, sumere, τὸ ἄλλο ἄλλο necessario ad שילה non ad Iudam referri debere. Contra, quando *συναφεια* textus atque rationes probabiles aliud suadent, non debet interpres, cui amica veritas est, ob merum praeiudicium ab assensu abstinere. Atque illud vt nostro in loco faciat, minus etiam causa est, quod (vt deinceps apparebit) vel sic tamen hoc effatum: ולו יקרה עמים, non nisi in Messia consummatum atque illustrissimum eventum nactum est.

§. 5.

Alterum quod nostrae explicationi proprium diximus, pertinet ad vocabulum שילה πολυθρονον illud et miserandum in modum tam vexatum, quam quod maxime. Quid enim quibusque fideiculis ex illo non extortum est? Sed quae incredibilis videri possit, certa tamen res est, nullam eius vocabuli factam adhuc esse interpretationem, quae nec analogiae grammaticae aduerfetur, nec significatu vocis et loquendi vsu certo destituatur, si recesseris a sola eorum explicatione, qui cum *Lipmanno* Iudaeo, nec non

non *Serveto* de *Silo* oppido interpretantur, quod nouissime Cl. *Tellerus* fecit. Sed his quidem tot tantaeque ex alio genere difficultates obsistunt, vt lectis, quae contra monuit *Anonymus* auctor *), nec illos arbitrer assensuros esse, quorum cetera nihil interest, bonam loci alicuius interpretationem *Serveto* debeant, an *Calvino*. Nos vero, necesse non est, vt recensendae ac refutandae vlli ex infinitis interpretationibus immoremur. Oportet enim, quotquot sunt, ad vnam omnes vanas esse et in fumum abire, si demonstrari possit, lectionem Masoreticam veram ac genuinam non esse. Atqui id ipsum existimamus cuique, qui nihil praeiudicati afferat, clarissimum fore, simul atque considerauerit, quomodo veteres interpretes vocem legerint et conuerterint. Quod ut appareat censum eorum ineamus oportet.

Pentateuchus Samaritanus scribit *שילה*.

Versio Samaritana itidem.

LXX. vertunt: τα ἀποκειμενα ἀδω.

Aquila et *Symmachus*: ὡ ἀποκειται.

Vulgatus Lat. qui mittendus est.

Onkelos, nec non *Targum Hierosolymitanum* reddunt: vsque dum veniat Messias, cuius est regnum *דדיליה היא מלכותא*.

Syrus pariter: *קדמלס וסג* cuius est.

Arabs Saadias: *الذي هو له* cuius est.

Denique, qui ab his iunctis non lectione quidem sed interpretatione abit *Pseudo Jonathan* transfert: *זעיר בכוי* parvulus filiorum eius.

Vides, Lector, ita esse, vt initio dicebamus, neminem veterum interpretum in codice suo habuisse *שילה*. De *Samarit.* et textu et versione

*) Prüfung der Tellerischen Erklärung über 1 Mos. XLIX, 10. 1768. cuius compendium est in *Cel. Ernesti Biblioth. Theol.* T. IX, pag. 184. sq.

9

versione palam est. Sed et *Alexandrinos, Aquilam, Symmachum, Syrum, Arabem* manifestum est legisse שלה idque pronuntiasse שלה. *Vulgatus* quoque in priori syllaba non habuit jod, sed legit שלח atque hoc elocutus est sive שלח sive שלה. Quin et *Paraphrastae chaldaei* (quorum nosti tum maximum momentum esse, quando textui Masoretico adversantur,) non legerunt שילה sed pariter vt LXX. Aquila, ceteri שלה. Solent quidem *Jonathanis* versionem זעיר בכוי pro lectione Masoretica allegare, sed falluntur, qui id faciunt, atque oportet legisse שלה absque Jod seu Chireck. Nam lectionem שילה non poterat, quod deinceps apparebit, reddere בכוי זעיר quin peccaret contra analogiam etymologicam ac grammaticam, quod licet ex recentioribus interpretibus, siue Iudaeis siue nostris, plures sibi permittant, non debemus tamen *Jonathanem* temere in eius culpa societatem trahere.

Iam ad hoc porro accedit, legi quoque in codicibus nonnullis scriptis שלה absque Iod, id quod *Flacius* testatur *Clav. Scr. S. P. I. col. 1143. vidi, inquit, plura manuscripta exemplaria, ubi non erat Iod; nec video sane, cur huic testimonio fidem denegare velimus, quod facit Pfeifferus, qui postquam allegaverat *)*, per absurde, *viderit, inquit, Flacius, qua fide id scripserit.* Equidem spondere ausim, fore, vt edita collatione codicum a *Cl. Kennicoto* instituta, isti divinitatis Masoreticae ὑπερσπουδαῖο nostro in loco non minus, quam sexcentis aliis id iam factum est, ipsa ἀυτοψία refutentur ac confundantur.

Solus *Arabs Erpenii* fertur, (neque enim vt ipse evolvam datum est) retinere שילה, scribens אלסו tanquam vocem, quam pro proprio nomine habuerit. Sed in tanta testium multitudine, quae contra hunc vnum, eumque ex iunioribus, contraque Masoreticum textum stat, non dubitabimus profecto, nisi omnes sanae critices regulas repudiare velimus, lectionem vulgatam deserere, atque statuere, vnice veram esse שלה, maxime, si quod nos demonstraturos speramus, haec lectio fundat sensum facilem et certum, contra vero, quod vel infinita derivationum et interpretationum diuergia satis produnt, ex vulgari lectione שילח nihil sani, nihil

*) Exercitat. de Schilo filio Iudae §. 30.

nihil absque multiplici et etymologicis et grammaticis regulis illata vi extundi possit.

Sed est mihi alia etiam observatio, quae rei decernendae et vel Masoretarum patronis sententiae nostrae conciliandis favere possit. Quid enim? si vulgata lectio שִׁלָּה nihil esset, nisi diversa orthographia seu scriptio pro שְׁלָה vet שִׁלָּה, tum sane tuendae quam reiecimur lectioni nihil omnino superforet. Ut autem illud nobis vero videatur finillimum, facit hoc, quod vel Iudaeorum magistri nonnulli, qui absque dubio in codicibus suis scriptum habebant שִׁלָּה, tamen non aliter interpretantur ac si scriptum fuisset: שְׁלָה v. gr. *Raschi*, qui exponit: אשר שהמלוכה שלו. Novimus autem Iudaeis esse in more positum, τ o dagesh forte itemque segol et tzeri per eam, quam vocant matrem lectionis, Iod exprimere; atque Cl. *Michaelis* *) nuper docuit, hanc orthographiam in scriptis Rabbiniis et Chaldaicis frequentari solitam, saepissime etiam in Codicibus Ebraicis MSC. inveniri. Addere poterat vir Cel. in impressis etiam textus Hebraici editionibus restare eius orthographiae plura exempla, quae plerumque magnopere conturbant Grammaticos, expediendis illis nescio quam epenthesin sibi confingentes. Exempla sunt Ps. 19, 14. אִתָּם pro אִתָּם I Sam. 17, 35. הַמִּיתוּ תִּעֲשֶׂה 2 Reg. 8, 21. לְבִיב. Esai. 44, 24. מִיָּמֵי Exod. 25, 31. Ezech. 11, 6. מְלֹאֲתֵי, in quo postremo etiam *Schultensius* veterem scriptionem agnoscit instat. ad fund. ling. Hebr. §. 150.

§. 6.

Quid vero, inquires, fiet ex ista, quam haecenus adstruximus, lectione שִׁלָּה? Anne enuntiemus eam שְׁלָה cum maxima parte veterum interpretum? Equidem non crediderim, nos eam pronuntiationem tueri posse. Primum, quod τ o ש praefixum seriori aetati originem debere, admodum probabiliter statuunt, nec eius in libris Mosaicis vllum prostat exemplum. Deinde et ש illud relativum commode non ad מַחֲקֵק referri posse videtur; neque enim apte dicitur: *donec veniat cuius est imperator*, pro: *cuius est imperium*: denique nec sensus, qui ita efficitur, placere potest. Si enim, quod volunt, Messias is sit, ad quem principatus pertinere dicitur,

con-

*) in Biblioth. orient. et exeget. T. 2, p. 194, 202, 237 — 239.

consequitur, vt cum Messiae aduentu principatus a Iuda auferendus dicatur. Atqui per Messiam ex Iuda oriundum, et in throno Davidis sine fine regnantem Iuda vel maxime principatum tenet aeternumque tenebit.

§. 7.

Existimamus, *Chaldaeum* *Jonathanem* vero proximum esse, quocum eodem redibimus, si pronuntiemus vel שלה, vel שלה, siue secundum alteram scriptionem שליה quod interpretamur *prolem, foetum, sobolem eius*; eamque interpretationem collatis dialectis Ebraica et Arabica confirmamus. Nempe سالي arabice, teste *Camuso*, significat *membranam, qua inuolutus est foetus, qua hominum, qua pecudum*. Vide sis locum ex dicto Lexico Arabico excerptum apud *Schultensium* orig. T. II. p. 56. Hoc سالي ex analogia hebraice est שלי siue שלה siue שלה, siue denique per apocopen של ad formam בן. Nam omnes hae formae promiscue vsurpantur, atque dicitur v. gr. בבה et בבי *fletus*, רעה et רע *amicus*, גאה et גאה *elatus* et גב *fossa* כלי et כלה seu כל, vnde est pluralis כלים *vasa*. Quaeris, num hoc vocabulum שלי siue שלה siue של Hebraeis in vsu fuerit? Atqui de eo non sinit nos dubitare forma foeminina שליה, quae Deut. 28, 57. exstat. Significat autem שליה inibi non *secundinam* modo, vt vulgo reddunt; sed habet, quod res ipsa et substitutio vocis בנים versu seq. parallelo clare demonstrant, sensum paulo latiorein, per metonymiam scil. continentis pro contento significans *foetum recens editum, teneram prolem*, quemodo etiam nonnulli, vt *Schultensius* l. c. *Glossius*, alii interpretati sunt. Eodem sensu voc. שליה prostat etiam in Talmude, ex. gr. *Mischnah Cholin* cap. 4. *si quis mactet bestiam et inueniat השליה, anima pulcra* (non concipiens nauseam) *comedet eam*; non secundinam procul dubio, sed foetum in secundina. Itaque fas erit credere, masculinum שלה שלה seu של eodem significato Hebraeis vsitatum fuisse. Sed ex hoc של et שלה, accedente affixo tertiae sing. ו vel secundum alteram scriptionem ה מox etiam versu seq. obuiam, existit siue שלה siue שלה plane ut a שיה est שיה רע

a רעו est רעו, a בן vero בנו, a שמו שם &c. Cum affixo verbali יהו foret שיהו, vt a שיהו est שיהו, atque ita originitus scriptum fuisse, vltimumque vav errore librorum nunc voci seq. לו adhaerere, a qua abesse potest, non admodum negaverim, quamquam necesse non est, et res eodem redit,

§. 8.

Heic vero non dubitamus fore, qui existiment, multum nos operae impendisse legendae et interpretandae voci שלה, nec tamen effecisse, quod operae pretium esse videatur, cum dudum alii quoque id vocabulum interpretati sint *foetum* seu *filium eius*. Sed his quidem reponimus, intercedere hoc insigne discrimen, quod ipsi rem hariolando agunt, atque vel anomalias statuere, vel sola coniectura niti coguntur; contra vero sic, vt nos legimus et interpretamur, cuncta analogiae grammaticae atque indubio loquendi vsui sunt consentanea. Ita v. gr. fat multi interpretes, siue Iudaei siue Christiani, vulgatam Masoreticam lectionem שילה vertunt *filium eius*, quin etiam prouocant ad vocabulum שליה Deut. 28. tanquam interpretationis huius fundamentum, sed ut שילה cum שליה conferre queant, aut transpositionem literarum statuunt, aut radices שול et שלה vices suas permutare aiunt. Quam vero vtrumque sit lubricum, equidem non opus est vt linguae ac grammaticae grauos moneam; atque dudum Cocceius Lex. violentum pronuntiauit. Etiam Lud. de Dieu interpretatur *semen*, i. e. *filius eius* prouocans ad Arab. *سول* fluxit et nomen *سول* fluxus; inde, inquit, שילה posse significare *profluum eius*, hoc que posse tantundem esse ac *semen* seu *filium eius*. Sed quis non videt, has esse meras coniecturas? Loquendi vsus Arabicus *سول* quidem de *riuo seu canali* vsurpat, sed nunquam, quod sciam de *sobole et liberis*. Alii denique conferunt arabicam, quae apud Talmudicos quoque legitur vocem שליל *embryo*, sed aequè ἀνομαλως.

§. 9

Posito itaque, rem hactenus confectam, et secundum sanae critices regulas legendum esse שלה, hocque שלה vertendum *proles eius*; iam porro quaerendum erit, quid tandem sibi velit integer versus: ער כי יבא שלה. An eum transferamus; *donec proles eius*

eius veniat, obediunt ipsi (Iudae scilicet) populi? Est forsitan, qui hanc interpretationem calculo suo approbet, sic ut per Iudae prolem intelligat Messiam κατ' ἐξοχην ita dictum. Enimvero huius interpretationis consequens est, ut statuamus per עמים non nisi gentes seu tribus Israelis significari, ad ceteras autem nationes hac voce omnino non respici, quippe quae ante Christi aduentum tribui Iudae nullo modo subiectae fuerunt. Praeterquam vero quod ita et עמים angustius capi videri queant, nec apparet sufficiens ratio, quae nos mouere debeat, ut denominationem tam generalem, qualis est *proles Iudae*, soli Messiae attribuamus posthabitis eunctis ceteris sub hoc nomine comprehensis. Obstat vero etiam is, quem §. 4. obseruauimus, parallelismus versuum poëticus, cui consentaneum non est, quod disticho altero Iudae promittitur dominium perpetuum, illud altero retractari quasi et ad aliquam periodum limitari; sed potius ius fas est credere, secundum idioma poëseos Hebraicae id ipsum disticho posteriori epexegetice repeti ac confirmari, quod dictum erat priori.

§. 10.

Equidem ex omnibus vexatissimi vaticinii difficultatibus emerfuros nos feliciter, ac tanquam discussis nebulis exorituram lucem, existimo, dummodo significationem quandam particulae עד non satis animaduersam illam sed indubiam ac frequentem loco applicemus. Scilicet haec vocula non modo terminos temporis sed etiam tractum et durationem exprimit. Non tantum significat *usque, donec*, sed saepe etiam vertenda venit *tantisper dum, quoad, quamdiu*. Quod exemplis facile demonstrabimus. Ita Iud. 3, 26. *Ehud euaserat עד התמהמהם dum illi cunctabantur.* 1 Sam. 14, 19. *accidit עד דבר dum adhuc loquebatur Saulus cum Sacerdote.* 2 Reg. 9, 22. *quomodo pax foret עד זנוני אמך quamdiu durant scortationes matris tuae.* Iob. 1, 18. *עד זה מדבר dum ille loquebatur adhuc Iob. 7, 19. non requiem permittis עד בלעי רקי vel tantisper dum salivam deglutiam, i. e. phrasi Arabibus quoque solita: momentum temporis.* Simili phrasi, quod hic *ως ἐν παροδῶ* obseruare liceat, Hieronymus dixit *una saliuā*, i. e. ut Plinius loquitur, *raptim et sine interpiratione*; Graeci ἀπενσι, vid. *Cosaub.* ad Theophr. p. m. 122. Proverb. 8, 22. *עד לא עשה ארץ quamdiu nondum i. e.*

antequam terram condiderat. Ion. 4, 2. *עד היותי* dum adhuc essem in terra mea. Psalm 141, 10. *עד אעבר* intereadam ego transeo. Eodem sensu est in phrasi frequentissima *עד עולם* quam a LXX. recte verti *di aionos*, i. e. *per omne tempus*, iam monuit *Cel. Ernesti*. Stilo Graeco hebraizanti eadem significatio non minus frequens est in *αχρει* et *εως*, quae Ebraeo *עד* respondent, ex. gr. 2 Maccab. 14, 10. *αχρει γαρ Ιουδας περιεσιν*, quamdiu Iuda superest. Act. 3, 21. *αχρει χρονων αποκαταστασεως παντων* quamdiu durant tempora *αποκ. π.* ad quem locum conf. *Ernesti Progr. Lipsiae 1769.* editum. Rom. 8, 22, *αχρει τσ νυν* quoad praesens tempus durat, vid. *Cl. Noesselti* commentat. ad Rom. VIII, 19. seq. Halae 1769. edita. Hebr. 3, 13. *αχρεις ε το σημερον καλεται*, quoad hodie dicitur. Ioh. 9, 4. *εως ημερα εσι* dum dies durat. Ioh. 12, 35. 36. *εως το φως εχετε* quam diu seu dum lucem habetis. Quin auctores quoque *το αχρει* hoc sensu vsurpant, quod *Cl. Krebsius* ostendit obs. Flav. p. 172, seq. nec non Latini suum *donec* v. gr. *Ovidius* in vulgato illo: *donec eris felix multos numerabis amicos.* *Livius* IV, 60. *Nemo donec quicquam virium superesset, corpori aut sanguini suo pararet.*

Itaque haec voculae *עד* significatio cum extra omnem dubitationis aleam posita sit, audemus nunc fidenter locum ita vertere: *dum futura est seu nascetur proles ipsius, obedient ei populi.* Cui versioni firmandae instar corollarii etiam illud addimus, verbum *בוא* speciatim quoque de hominum ac generationum in mundum adventu i. e. nascencia vsurpari v. gr. Psalm. 71, 18. *donec indicem brachium tuum generationi, fortitudinem tuam לכל בא* i. e. *omni nascituro*, siue ut *Alexandrini*, *μεταγεγενησιν*, *Kohel.* I, 4, *בא והדר בך* aetas moritur, et aetas nascitur.

Quod vero interpretationi, quam dedimus, commendandae in primis etiam facere debet, obserues Lector, secundum illam id ipsum vsu venire, quod poeseos Hebraicae character natiuus expectare iubebat, ut scil. in posteriori commatis parte mutatis verbis idem dicatur quod dictum erat priori. Hoc enim in vniuersum Iudae promittebat sceptrum ac regimen perpetuum, illa vero id ipsum vltius confirmat ac regimen hoc duraturum vaticinatur, dum Iudae posteri futuri sint.

§. II.

§. II.

Quaeres autem Lector, quomodo illud vaticinium impletum sit? Respondemus, eodem modo impletum esse ac vaticinium de regno perpetuo, quod Davidi et eius posteris a Deo promissum fuit; quod vaticinium serius dictum cum nostro antiquiori omnino multum habet affinitatis, ita vt alterum illustretur et confirmetur altero. Illud scilicet promissum Davidi factum tanquam propior determinatio vaticinii Iacobaei spectandum venit. Quod enim Deus per Iacobum in vniversum Iudae genti pollicitus erat, id deinceps specialius attribuit huius gentis familiae Davidicae. Atque hoc egregie facit ipsius Davidis in hanc rem memorabile dictum 1 Paralip. 28, 4. *Iudam inquit elegerat Dominus in principem et ex familia Iudae familiam patris mei.*

Promiserat Deus Davidi, fore, vt regnum ac thronus eius durarent לעולם 2 Sam. VII. hoc vero est, non modo per longissimum ac indefinitum aliquod tempus, qui alias frequens vtique est vocabuli istius significatus, sed strictissimo sensu in aeternum, ita vt nunquam desinerent, quod docet authentica interpretatio Psalm. 89, 30. 37. 38. extans: *faciam sobolem ipsius perpetuam atque thronum eius coaeuum coelis — soli atque lunae.* Illud novimus, post longam successorum ex domo Davidis seriem denique in immortali Davidis filio Messia, aeternum viuere ac regnante completum esse. Iam nostro in loco similiter genti Iudae regimen perpetuum ominatur S. Spiritus, duraturum, quoad proles ab ipso nascitura sit. Atqui hoc regimen Iuda inde a Davidis praecipue temporibus satis constanter possedit, idemque in Messia ex Iuda oriundo possidet etiamnum, aeternum possessurus quoniam Messiae imperium finem non habet. Sane cuiuslibet promissionem diuinam 2 Sam. 7, 13. 15. legendam cum nostra comparanti magna, quae inter vtrumque intercedit, harmonia oportet in oculos incurrat. Quod illic dicitur: *semen tuum post te, quod exiit ex visceribus tuis,* id est respectu Davidis, quod nostro in loco est שלח respectu Iudae. Iterum quod illic dicitur: *firmabo regnum ipsius, et gratia mea non recedet ab ipso,* ex nexu atque Pauli interpretatione Act. XIII. idem est respectu familiae Davidicae, quod hic *non recedet sceptrum a Iuda,* respectu uniuersae gentis seu tribus.

§. 12.

§. 12.

Atque ex haecenus disputatis sponte iam elucescit, verba postrema וְלוֹ יִקְהָה עַמִּים quomodo de Iuda intelligenda et euentu comprobata sint. Nempe quatenus Iudae posteri ad Messiam vsque respiciuntur, vtique per עַמִּים non nisi tribus seu gentes Israeliticae, sexcenties hoc nomine appellatae, intelliguntur, et יִקְהָה obedientia earum est illa, qua durante republica Israelitica subiectae fuerunt regimini Iudae sceptrigeri. Sed ex mente Spiritus prophetici, quam nobis tandem euentus et euangelium declararunt, gentes quoque seu nationes in vniuersum sub עַמִּים comprehenduntur, quae scil. aliquando Dei populo Israëli inferendae, atque ita simul communi legislatori Iehudaeo subiiciendae forent; id quod in illustrissima Iudae sobole Domino nostro Jesu, atque vniuersa gentium sceptro eius subiectarum multitudine satis superque factum est. Putamus itaque voce עַמִּים hic sylleptice nationes in vniuersum significari eodem modo, quod fit in promissionibus Abrahamo factis Gen. XV. XVII. Quando enim Deus patriarchae pollicebatur, futurum ipsum patrem multorum populorum, semenque ipsius instar stellarum coeli, novimus proxime quidem populos ac posteritatem gentilem significari sensu proprio, deinde vero mystice etiam vniuersam, qua patet orbis, hominum multitudinem, qui fide cum Abrahamo patre coniungendi et ad eius familiam adoptandi forent, docente Paulo ad Rom. c. IV.

§. 13.

Vt huic disputatiunculae finem faciamus, liceat in summam colligere, quae nouae explicationi commendandae facere putamus; parallelismum scil. membrorum atque harmoniam vtriusque distichi — genuinam atque tantum non omnium testium auctoritate firmatam lectionem עֲלֵה — formam huius vocabuli grammaticae analogam si pronuntietur עֲלֵה vel עֲלֵה — significatum eiusdem vsu loquendi hebraico comprobatum — harmoniam denique similitum vaticiniorum illius in primis de regno perpetuo familiae Davidicae, quibus singulis et in vniuersum perpensis, collatis etiam particulatim aliis usplicationibus, esto iudicium penes Lectorem.

